



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Praeceptvm Qvintvm. Non Occides.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

xi sapius) ne cū Iudæorū uanissima hypocriti, legem dei oblitī, arguamur. Primū honoremus dei præceptū, & sic honoremus ut spiritualiter illud operemur, & intelligamus. Hoc est, ut ante omnia istis externis bonis, seu corporis, seu rerum (quia deus illorū non eget, nec ullum uerbū de ijs sibi conferendis in primis præceptis posuit, ut dicit apud Hieremiam septimo) parentibus obsequamur, si egeāt, deinde propinquis postea pauperibus & egenis. Tandem quibuscunq; opus fuerit, mutuo uel gratis demus proximis & fidelibus. Et nō sic, ut illis prætermittis (ut nūc furor regnat) templa, imagines, uela, uasa, in illis sumptuose cōparemus. Hæc sint nouissima & modica, quia nō necessaria. Necessarijs enim caremus, quia superflua struimus. Non enim necesse ut superfluis studeamus, cū tot sint necessaria ad salutem, ut nemo sufficiat ea perficere. Alioquin si illa sunt necessaria ad salutem, ubi pauperes saluabuntur, qui hæc non habent. Sed nunc miserrimo tempore, ita illis instatur, tanq̄ hæc sint & necessaria & sola ad cultum dei pertinentia, cum ad hoīm consolationem data sint, & deus non egeat, sed homo illorū. & non dantur hominibus sed deo, mira cæcitate. Et sunt qui dicāt, Scimus, quod nō eget deus illis, sed nō respondent, si dixeris eis, Cur ergo das illa deo, non cupienti, & subtrahis eadem fratri indigenti, cōtra uolūtatem dei præcipientis. Et tantū de illo præcepto quarto.

P R A E C E P T U M Q U I N T U M .
N O N O C C I D E S .

D lectum est de præceptis, quæ respiciunt deum tam in seipso q̄ suis locū tenentibus. Iam sex sequentia respiciunt proximū. Et uide mirū & aptum ordinē. Incipit enim prohibitio a maiori usq; ad minimū, nam maximū damnū est, occisio hominis, dein de proximū, uiolatio coniugis. Tertiū, ablatio facultatis. Quod qui in ijs nocere nō possunt, saltem lingua nocēt ideo quartum est, læsio famæ. Quod si in ijs non præualent omnibus, saltem corde lædunt proximū, cupiendo quæ eius sunt in quo & inuidia proprie consistit, de quibus uidebimus. Talis processus est & in primis. iij. Nam maximū est corde, ore, opere abijcere deum, deinde saltem ore inuanum nominare, quem corde & ore cōfiteris. Tandem, quem ore & corde colis, opere nō colere. Et nouissimū, in suis uicarijs despiciere, quod leuius sit

*Præceptum
quintum*

inter quatuor illa, tamen est maius, quæ cætera quæ sequuntur, eo quod non deus proprie in illis impetitur, sed homo & proximus.

Hoc aut præceptum, sicut & omnia alia ad literam traduxerunt Pharisæi, tanquam nullus contra ipsum faceret, nisi manu propria occideret alium. Sic docebant, & ita quoque uiuebant. Quod aut sic docebant, patet per omnes Prophetas, Vnde & Psalm. xvij. intuitus, quod doceret opa illa externa tantum, non ex corde, tediæ affectus dicit, Cæli enarrat gloriâ dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. q. d. isti solummodo docent opera hominum, non opera dei, Quibus fit ut legem dei corrumpant, quæ est immaculata, conuertens animas, sed illi solas conuertunt animas. Et ratio est, quia lex est spiritualis. Et hic notandum, quod quoniam lex dicitur spiritualis, intelligitur non quod sit mystice intelligenda, sicut intelliguntur figuræ, & mysteria, aliud enim est mysticum, & aliud spirituale, sed spiritualis dicitur, quia solo spiritu impletur, & spiritum requirit, hoc est nisi corde, & hilari uoluntate impleatur, non impletur. Sed talis spiritus non est in nobis, sed datur per gratiam spiritus sancti, quæ facit uoluntarios in lege domini. Vnde quoniam auditur lex quæcumque, præcipiens illa, semper oportet cogitare, & subaudire, quia præcipit uoluntate talia facere, id est libere, sine timore pœne, & ex hilaritate, quod cum in nobis non sit, statim intelligitur, quod lex cogit ire ad gratiam, ut impleatur. Sic Psalm. i. Sed in lege domini uoluntas eius. Qui aut mysticum & spirituale idem intelligunt, oportet ut decalogum legis non spirituale intelligant, sed tantum ceremonias legis, cum nullum sit mysticum præceptum in illo. Ac per hoc Apostolo resistat Rom. v. Lex spiritualis est, & loquitur decalogi, ut patet expresse in textu. Quare mysticum & spirituale differunt, sicut superius & inferius, Omne spirituale est mysticum, sed non contra, quia spirituale est nihil aliud, nisi quod est uel significat uiam uoluntatem ad faciendam uel obmittendam. Mysticum autem sæpe significat externas operationes, ut immolatio passeris significat carnis macerationem. Sed hæc est adhuc literalis, licet mystica, quia potest fieri sine spiritu, & uoluntate, quia & euangelij præcepta sæpius in litera seruantur ex timore, & non ex uoluntate, quamquam uere secundum euangelium uiuere, sit præcepta ex uoluntate libenter facere. Et qui aliter uiuit, non secundum euangelium uiuit, sed secundum literam legis.

Quo circa, qui intelligentiam spirituales, & doctrinam spiritus,

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

intelligunt ipsum euangelium & hoc secundum opera exteriora, prope sunt Pelagiani, quia talia opera etiam ab impijs fiunt, sed opera euangelij non nominantur secundum suum exterius, sed secundum suum interius. Ideo sunt opera abscondita, licet foris luceant, uoluntas tamen latet. Eadem causa etiam uocantur opera dei, quia sunt opera gratiae, & spiritus. cum homo ex se non habeat uoluntatem istam, ac per hoc nec opera ipsa. De istis ergo operibus in scriptura frequens est mentio. Et opera hominum acriter arguuntur, quod sunt similia quidem ueris, sed uera non sunt, quia sine uoluntate gratuite fiunt, sed semper habent, uel timorem poenae, uel amorem commodi pro fine. Taliter enim Iudaei uiuebant & docebant, ut dixi. Nam cum Christum ad Pilatum ducerent, nolebant eum interficere ne peccarent, sed tradiderunt eum ad occisionem. Sic Saul quoque de Dauid, Non sit manus mea in illum, & tradidit illum, in manibus Philistinorum, quasi ideo esset innocens, quia non manu occideret, sed corde.

Quo circa Christus Matthaei quinto. Nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum, Et quare hoc? Quia accipiebant legem secundum dicta & sonum syllabarum, id est, non secundum intentionem legislatoris. Ideo dicit, Audistis, quia dictum est antiquis, quasi diceret, dictum, sed non intellectum, uerba tantum audierunt, intellectum autem non cognouerunt, ideo secundum literam uixerunt, & hoc totum, quia fuerunt antiqui, carnales, Adamitae, terreni. Ego autem dico uobis, quibus uobis: utique non antiquis, sed nouis caelestibus Christianis, spiritualibus, spiritualiter dico. Igitur audiamus, quomodo Christus hanc legem spiritualiter exponit, Et uidebimus quot genera contra hoc mandatum peccent.

Primi itaque sunt, qui irascuntur in effectu, qui occidunt ad literam & in opere, de quibus dicit. Qui autem occiderit, reus erit iudicio, uel potius, reus erit iudicij, aut iudicio, in dandi casu, pro eo quod est, obnoxius iudicio, Hoc facile omnes intelligunt, nisi quod sub opere illo comprehendunt omnes, qui hortati sunt consilium, auxilium, aut quocumque alio modo causam mortis dederunt, aut socij & participes fuerunt.

Secundi sunt, qui irascuntur in uerbo, de quibus dicit, Omnis qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis. In uerbo autem

fatue, intelliguntur omnes maledictiones, cōtumeliæ, blasphemiam, quæ procedūt ex ira deliberata. Tales enim, & si opere nō occidunt, tamen uerbis ea super ipsū dicunt, quæ si fierent, uti q̄ ille moreretur. Quomodo enim uiueret, si diabolus auferret, si pestilentia occideret, si fulmen percuteret, imo aliquando usq̄ ad animæ mortem maledicunt, dicentes, ut absorbeat te ignis inferni. Assumit autem Christus uerbū modestius, scilicet fatue, ut intelligamus, quid sit de illis, qui durius maledicunt, & hoc ex ira plena, & quæ optet interitum illius, quem maledicit.

Tertij sunt, Qui irascuntur in signo, de quibus dicit, Omnis qui dicit fratri suo Racha, reus erit concilio, in quo intelliguntur omnia signa alia, quæ ex eadem ira mortali procedūt, ut sunt a uerti facie, tacere salutationē, aut responsionē, gratulatorijs uerbis malum eius protestari, & indignabundis prospera eius prosequi. de quo philosophus ij. Ethicorū fecit uirtutem Nemefim, Nam hoc signū leuissimū Christus ponit, ut iudicandū relinqueret de prioribus, imo quia parce & uerecunde exprimit spiritus mala hoīm, sed profunde uult intelligi. Racha certe, si meo iudicio sentire liceat, etiam usitatū uidetur apud omnes linguas, nā & nos cū indignamur, fragore quodā gutturis proferimus, uelut caninū arch seu rach. Talem enim fragorem & asperitatem gutturis, puto dñm significare uoluisse, per dictionem istam, & hoc esse quod alij interiectionē indignantis exponunt. Non est enim alia interiectio indignantis & quidē uehementior, rach seu rarch ut notū est. Talis itaq̄, licet nec uerbo, nec opere occidat, tñ id signat, quo cupit eum nō esse ira motus, ideo occidit signo.

Quarti sunt, qui irascuntur affectu, & is gradus est causa, quæ supra dicti sunt peccata, quo sine, etiam fierent, & possent fieri, nō essent peccata. Ipse enim affectus iræ est caput & uita iræ uerbalis, signi & operis, sine quo non essent ira, de quibus dicit, Omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio. Tales enim licet nō occidant opere, uerbo, signo, tñ corde, de quibus Ioann. in Cap. sua, Qui odit fratrem suum, homicida est. Quare: quia nō fauet ei uitā, sed mortem, ideo quo ad cor est occisor fratris corā deo.

Igitur hoc præceptum est profundissimū, nec ullus est, qui id impleat sine gratia, cum nullus sit, quin habeat cui irascatur, si recte seipsum consideret, alioquin falsa erit oratio dominica, quæ

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

dicit, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Sine charitate enim impossibile est, ut hoc præceptum non transgrediatur. aut enim diligit, aut odit homo proximū suum licet nunc nati sint neutrales quidam, dicentes, quod potest nec diligere, nec odisse, uerum tu ne illis confidas suadeo.

Quare, qui uult hoc præceptū implere, studeat omnibus modis, omnem hominem dulci affectu diligere, immo petat a domino gratiam dilectionis. Et nō sibi frustra palpet, quod neminem odiat, ualde enim mitis & humilis est homo, qui hoc præcepto nō peccat. Quia spiritualis illa ira, quæ prohibetur in isto affectu, ita profunda est, ut etiam foris non apparente signo uel uerbo, intus uehementissime uiuat. de quibus Esa. x. Ve uobis, qui profundi estis corde, & quorū sunt in tenebris opera eorū.

Est autem & ira alia spiritualis & bona, quæ uocatur zelus dei. Nam nisi dñs etiam uellet significare iram bonā, absolute dixisset, Omnis qui irascitur, nūc dicit, Omnis qui irascitur fratri suo, ne contradicat sibi ipsi, ubi ait, Qui odit animā suā in hoc mundo &c. Quare ira & odiū sui ipsius est nobilissimū, de quo alias Sufficit itaq; nobis huius præcepti ista expositio domini, præter hoc qd & multos mouit, cur dñs hūc ordinem fecerit, ut simplicem iram iudicio, Racha concilio, fatue geennæ deputarēt. Nam id facile patet, quod per iudicium, quod dicit lex, Qui autē occiderit, reus erit iudicio, intelligātur hæc omnia tria in spiritu sicut ipse dominus legem interpretatur, qd sicut sub, Non occides, cōprehensa est uniuersæ prohibitio iræ, ita sub iudicio uniuersa pœna iræ, Cur ergo nunc iudiciū distinguit a concilio, & geennæ? Primus Lyra sentit, quod textus sit transpositus, cū concilium prius uideatur q̄ pœna B. Aug. li. i. de ser. do. dicit, Quod ordo grauitatis hic ostenditur in pœna, sicut & est in ordine culpæ. Sed quō id peragatur inuisibiliter in animabus, nō posse dici, itaq; relinquit in cognitū, solum asserens, qd peior & grauior pœna illis gradibus est expressa. Nam in iudicio adhuc datur defensionis locus. In cōcilio uero tractatur de conuictō, qua sententia sit plectendus. In geenna uero, est certa & definita damnatio rei. Per illum itaq; processum iuridicū exprimitur grauitas differentiu criminū, quæ quo modo uindicentur, cū id B. Aug. non expresserit, nec posse exprimi dicat, ego quoq; desistā exprimere

Nam si dominus differentes pœnas uellet illis gradibus significari, ita quod reus iudicio, non sit reus concilio, aut gehennæ, sequitur, quod mortalis inuidia, non sit rea gehennæ ignis, neque maledictio, neque detractio, quod est falsissimum. Immo sequitur, quod occidens opere, peius mereatur supplicium, quam gehennæ ignis, quia peior & grauior illis tribus est, cum tamen non sit peius supplicium.

Quare ut meditari liceat, sine temeritate omnium istorum quatuor, seu sint plures gradus occisionis, etiam in opere, quod utique uerum est, quia grauius occidit, qui patrem & matrem, aut uxorem occidit, quam alium hominem, una est pœna, scilicet æterna damnatio & gehenna ignis, sed differentibus gradibus inferenda, quod significatur illis ordinibus graduum. Nam sicut remotior est a pœna, & tardius ad eam uenit, qui iudicio tantum sistitur, in temporalibus, ita tardius, id est, minus intense, ac leuius punitur in inferno qui solum iratus fuit. Nam quod in tempore est, tarditas, aut celeritas hoc in æternis est intensio, aut remissio. Immo tarditas & celeritas in corporalibus proueniunt ex intensione & remissione spiritualium, ut patet in feruidis & ignauis animalibus, quæ multa breui, & modica longo tempore perficiunt. Segnis enim anima, modica agit, ubi intenta facit plurima. Ita sic ut qui concilio reus est, propior est malo suo, quam qui iudicio, & tamen remotior, quam qui gehennæ, ita intensius in illa punitur hic quam ille. Reus uero gehennæ sine mora est, id est, intense nimis punitur, & non remisse.

Qui uero occidit, & peius quam occidit, utique intensissime punietur. Hæc ita dixerim, ut nihil affirmauerim.

Sed sunt quidam occulte, superbi, qui secure sibi persuadent, se non esse reos huius præcepti, quia non occidunt, non irascuntur, nec conscij sibi sunt odij, quod potest fieri, & uerum esse, sed non in hoc sese iustificatos putare debent, & hoc præceptum penitus euacuasse ac impleuisse. Quia lex immaculata, & igne examinata, ac septuplum purgata. Idcirco non ante se quis gloriatur, non peccare in ira contra fratrem, quam se senserit ita mitem, & pacatum, ut si auferantur ei etiam omnia cum uita, uon uelit irasci contra auferentem, ac non irascatur cum fuerit ita factum. O quam grande & profundum est uerbum hoc, Facile est non irasci pacificis, & ijs qui non lædunt, hoc & gentes, hoc bestiae quoque faciunt, & bestiae etiam immaniores. Quam egregia ergo est iactantia iustitiæ, quod non irascaris pacifi-

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

cis, scilicet usq; ad serpentū & leonum pertuenisti mansuetudinē. Verū si auferatur tibi pecunia, domus, pater, mater, frater, soror, filius, ager, corporis membrū, & ipsa uita, hic uide si possis, non solū non irasci, sed etiā gaudere, & benedicere deū, ac benefacere hęc facientibus. Si hęc potes, gratias age, quia gratiā dei habes. Si nō posse te inueneris, intellige radicalē illam irā, ipsam spiritualē occidendi uoluntatē intus latentē. Hanc em̄ lex prohibet & expugnat, ideo gratia hic opus est, quā sic cognita impossibilitas per legem cogit querere. Dicis itaq; m̄hi, Ita ne purū esse oportet hoīem, ut ne uelit irasci quidem in oībus malis sibi illatis: Respondeo, ita purū utiq; quia nihil inquinatū intrabit in regnum cœlorū. Quā diu enim ista manet uolūtas in nobis, quæ data occasione, uir in irā, sumus imundi. Oportet ergo ita mūdā fieri, ut non solū, sicut dixi, non irascatur, sed etiam benedicat maledicentibus, benefaciat persequentibus, gratias agat deo in aduersis, & optet plus aduersitates, ut solum peccatū odiat, & non pœnam, secundū illud, Benedicite lux & tenebre dñm. Et benedicam dñm in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ideo quod iudæorū sancti tales nō essent, dictum est de eis Psal. viij. Destruas inimicū, & defensorem. Ideo dixi, quod lex est spiritualis, qui enim aliter hoc præceptū intelligit, iudaice & literaliter intelligit, & non abundat iustitia eius a iustitia pharisæorū.

Inde B. Aug. lib. i. de ser. do. sex gradus colligit in hoc mandato. Primus est, lædere etiam si non sis læsus, quæ est summa iniustitia. Secundus est, lædere grauius quam sis læsus, quod accedit ad legem Mosi. Tertius est, lædere tantum quantū sis læsus, hucusq; lex Mosi processit, quæ dicit, Dentem pro dente, oculū pro oculo, hęc enim donat aliquid, cū maiori pœna dignus sit nocens, q̄ innocens omni iure. Quartus est, læsus nō lædas tantum quantū sis læsus. Quintus est, Læsus omnino non lædere, hic appropinquat præcepto domini, sed nondū est ibi. Sextus est, læsus, paratus ut sis amplius lædi, hoc est, alteram maxillam prebere. Vide itaq; quā funditus iram extirpari uelit, ut non solū nō irascatur, sed etiam optet lædi, hic enim mundus est. Nonne qui hęc audis, cogitas illud psal. Latum mandatū tuum nimis? Quod si quis nō læditur ab alio, necesse est, ut seipsum lædat, & irascatur sibi multis cōrritionibus. Ideo nō est melius, nisi ut sicut

praecipuum est, diligere proximum sicut seipsum, ita quisque odit se ipsum, sicut proximum, ut sic omnia reducantur ad iustam formam.

Quocirca, uis irascibilis, quae hoc praecipuo occidit & mortificatur, ipsa est inimica crucis Christi. Ideo quoniam ipsa est homicida, & occidit, oportet ipsam quoque non uulnerari, sed prorsus occidi & mortificari, & legem talionis in illam exerceri. Qui enim occidit occidetur, occiditur autem ista lege, id est, significatur occidenda, gratia autem sola occidit eam in effectu. Qua occisa, homo fit mitis, patiens, suavis ad quoscunque etiam paratus inimicos diligere, & eis benefacere, gaudere in tribulationibus. Quae omnia impedit impatiens illa, ac cruda uis irascibilis, quam heu quam pauci attendunt, securi de alijs suis bonis operibus, ignorantes quam uehementer sit spiritualis, & immaculata lex domini.

Igitur qui amat crucem, & gloriatur in cruce domini, hic est qui non occidit, non irascitur. Nam haec est uera differentia spiritualis, irae bonae & malae, quod ira mala, propter mala poenae tantummodo irascatur. Bona autem solum propter mala culpa, ideo sibi tantum displicet, & seipsam odit propter peccata, omnes alios diligit, & non odit ullum, propter res ablatas. At dicis.

Si hoc ita esset, nullus saluus fieret, uel nimis pauci. Respondeo, ideo dixi, quod ualde spiritualis est lex, & eo conandum, ut sic impleatur, nec mirum quod pauci saluantur, nec tamen ideo desperandum, quia quod impossibile est nobis, deo possibile est ut Lucae xvij. Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum, hoc est quod dixi, lex recte & spiritualiter intellecta terret hominem, & cogit humiliatum ad gratiam confugere, ac de seipso desperatum, oculos in caelum leuare, & dicere, Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in caelis, &c. Et iterum, Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Quia hic nulla est fuga, huc enim oportet hominem uenire, ut sit ita mundus, siue hoc fiat in uita, siue in morte, siue in purgatorio. Noli ergo superbire, quod non pecces, si sentis te irasci pro temporalibus, quia nodum es in spiritu iustus cum Christo, sed cum Moisaicis in carne. Quod autem de isto praecipuo dixi, de omnibus intelligendum est simili modo, quodlibet enim illorum est spirituale immaculatum, fidele, probatum, purgatum septuplum, licet raro sic exponatur, ut Psal. xi. de eiusmodi conquerit. Unde quod in Grec.

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

dicitur. Omnis qui irascitur fratri suo, sine causa, merito per B. Hiero. iubetur eradi. tollitur enim (ut ipse ait) ois occasio iræ in isto præcepto. & illud additū est, quia in ueris libris non habet.

At obijcitur. Tu de perfectis loqueris, non autem omnes damnantur imperfecti. Respondeo, uerum est, Sunt gradus in isto & quolibet præcepto, ut isti quatuor a domino in euāgelio isto distincti, & sex per B. Augu. ut uisum est. Primū est enim, ne occidas opere, tamen prospiciendum, ne etiā uerbo, ac deinde ne signo, inde ne corde. Quod si nūc mereri etiā uolueris, oportet ut etiā libenter optes aduersa, & feras cum gaudio. Scio non oportere statim esse perfectum, sed gradatim ascendendum. Verum oportet tandem perfici, & tendere semper ad profectū, & non stare ac contentum esse in aliquo graduum prædictorum, sicut multi faciunt, peius peccantes propter non proficere, q̄ alij propter nō incipere, eo quod illi superbiant de incepta iustitia.

Inde deniq̄ sapius uenit, ut pessimi peccatores ac meretrices, compuncti statim ita perficiantur, ut in supremū gradū euolent parati omnia amittere, & sustinere cum gaudio, ubi alij multis annis laborantes, nec secundum attingunt. Quod si dixeris, nō mirum quod magni peccatores sic compungantur.

Ecce ecce, hic te audio pharisæe, tu nō es magnus peccator, nō es sicut ceteri hoīm, inuenisti uias tuas bonas. Et cæcitas nimis profunda, & lata, quasi ista superbia nō sis peior illis omnibus.

Igitur, cogitandū semper, ut non tantū ira, sed fomes ipse iræ, & totus Adam occidatur, arbor cū fructibus & radice. Ira enim nisi iustitiā dei non operatur. Non em̄ præcepta sic tantū sunt discenda, ut scias confessionem facere, quia iste fomes nō pertinet ad cōfessionem, sed tantūmodo opera, neq̄ tollitur p̄ confessionem, quia neq̄ p̄ baptismū. Sed cognoscendū peccatū, & quid faciendū tibi sit, & quid a deo petendū, per legē enim cognitio peccati. Quia præceptū dei plus requirit, q̄ possumus. Sed hic clamant, ergo impossibilia præcipit: hæc est blasphemia, ergo iniuste, dānat. Respondetur nō, Sed ideo præcipit, ut misereatur, & humiliet ad gratiam quærendam. Qui enim solum discit ea, ut possit cōfiteri uadit p̄sumens facere, quæ didicit, & peius semper uiuit, nihil aliud faciens, nisi q̄d conscientiā auget, & magnificat.

COROLLARIUM.

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

esse seruatum, nisi forte non in charitate, sed hoc non est peccatū nec transgressio huius præcepti. Quid faceremus istis Pharisaicis interpretibus, si non ipse dominus hoc præceptum exposuisset prompti enim essent negare, quod in illo ira cordis etiā prohibita sit, nisi quando non irritatus, ex malicia irasceretur homo, quod tamen nescio an huc pertinere sentiant. Si ergo scirent, qđ ista malignitas iræ radicalis radicibus hic prohibetur, utiq; non negarent præceptū in charitate fieri iussum esse, nisi dixerint aliq̄ quē suis uiribus posse iracundiā in mititatē mutare, sine gratia.

Secundo, illud quoque uel somniant, uel somniare cogunt. Quod nō occides &c. referatur ad tempus quietis, in quo si quis irasceretur, peccaret, qđ ille nimirū uult, qui glossauit, sine causa. q. d. si fuerit non pulsatus iniuria &c. quasi non peccet, si læsus indignetur lædenti, non enim hucusq; intrant in præcepti cognitione, ut uiderent, quoniā omnia referuntur ad tempus tentationis, & probationis, ut homo ibi agnoscat spiritum eorū & carnalitatē suā, dū senserit sese rapi uiolenter ad peccandū & non inuenit in carne sua bonū, ut gemat pro gratia sanitatis, hic em̄ sine gratia homo nō potest iram obmittere, & impatientiā, ut patet experientia. Alioqui, non doceretur homo hic aliam iram ponere quā diabolicā, quæ est, non irritatū irasci ac nocere, quæ nullis ferme bestijs inest, aut quā paucissimis. Similiter somniāt de actu diligendi deum super omnia, scilicet in tempore quietis & non cogitant quam impossibile sit in tentatione & passione.

Hoc totum illi pulchre abscondunt, quādo disputant solū de operibus præceptorū secundū faciem syllabarū. tunc em̄ inueniunt Iudaicæ illius cæcitatē monstra, scilicet qđ gratia non est necessaria nec intenta in præceptis, nisi cōdicionaliter, & hoc non propter defectum hoīm, sed propter intentionē præcipientis, ut gratia fiat odiosa cunctis, dū potius uelut noua exactio imponitur supra legem, & impossibiliore faciat salutem, q̄ lex ipsa & non sit potius adiutoriū & consolatio ijs, qui legem debent implere. Sic cogunt imaginari THEOLOGĪ monstra ignorantia, & prodigia tenebrarū. Igitur in gratia fieri præcepta, nō solum est intentio præcipientis, sed indigentia facientis. Nam uerum est, qđ ille peccat, qui non occidit, existens extra gratiā, non aut peccat, qđ non occidit ad literā, sed quia intus occidit corde

R. P. MARTINI LV THERII DE X. PRAECE

in spiritu ubi sine gratia, non potest esse sine ira, & fomite indignationis, ut patet experientia tentationis & occasione data per aduersitates, hoc enim latens malum irae facit, ut non possit non occidere, ergo reus est praeccepti spiritualis, licet sit non reus eiusdem praeccepti literalis. Patet ergo quod de lege loquitur ad literam.

Tertio, ex eadem caligine concludunt, quaedam esse praeccepta tantum negatiua, quaedam affirmatiua, hoc iterum non est uerum, nisi corticem syllabarum teneas. Nam illo praeccepto, Non occides, exprimit uehementissimam affirmatiuam, scilicet illam, Esto mitis & ex corde mansuetus, ac patiens, & quietus, ac pacificus. Negatiua enim in scripturis ideo ponitur, quia affirmatiua non est tam uehemens, ut ibi, Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea (id est) in aeternum ei cumulabitur. Et Psal. cix. Iurauit dominus et non poenitebit eum, id est, maxime & eternaliter placebit ei. Et illud Psal. i. Beatus uir qui non abiit, id est, maxime hic inter pios profecit, Et sic de multis alijs. Nam & Apostolus Rom. vij. exponit illud, Non concupisces, affirmatiue, dicens, Quod uolo bonum, id est, contrarium concupiscentiae (scilicet castitatem & amorem) non facio, facere enim positue significat. Igitur hoc praecceptum est quidem negatiuum secundum literam, sed affirmatiuissimum, secundum spiritum, quia dominus requirit, ut sint mites & pacifici. Illi autem relinquunt internam foeditatem, quam Synagoga impropere dominus, dicens, Sordes in pedibus eius, Tren. i. & Deut. xxij. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus. Sic & illud, Non moechaberis, negatiuum est, sed secundum literam, habet autem hanc affirmatiuam spiritualissimam, Esto castus, continens, temperans, sobrius, modestus. Et hoc ex intimo, proprio, gratuitoque corde. Hic autem gratia utique opus est, non propter deum intendente praecipiendo, sed propter carnalitatem nostram impotentem faciendo.

Sic illud, Non furtum facies, litera est negatiua, sed spiritus affirmatiuus, scilicet, esto pauper spiritu, contentus presentibus, ac modestus &c. Quin & illud primum, Non habebis deos alienos, est affirmatiuum, scilicet, dominum deum tuum diliges & coles, unum super te, & omnia, alioqui non erit unus, si aliud cum eo diligitur. Et illud secundum similiter, Non assumes nomen domini dei tui in uanum. Haec est litera, sed spiritus dicit, Sanctum & terribile nomen eius. Et iterum, Omnis qui inuocat nomen domini saluus erit. Vult ergo affir-

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

mi nomen dei affidua reuerentia, & timorosa inuocatione, magis aut̄ glorificari & benedici humili suę ignominiaē cōfessione

Et illud tertiū, Sabbata sanctifices, id est ad literā nullū opus in eo facias, litera est negatiua, cum ibi affirmantur nobilissima, & maxima opa dei, in audiendo, docendo, meditando uerbo dei in spiritu intus, foris quies, intus maxia actuositas dei operantis

Et si hæc tria præcepta exponas spiritualiter (id est, de internis operibus) inuenies, quod primū sit Charitas dei, Secundū fides, Tertiū spes. Nam nō habere alienū deum, est deū diligere super oīa. Non assumi nomen eius in uanū, est credere in nomen eius & ipsum in fidei spiritu intus inuocare & glorificare. Quomodo em̄ inuocabunt, in quē non crediderunt, omnis em̄ qui inuocat nomen dei saluus erit. Porro sanctificare quietē, est sese passibilem deo p̄stare, ut in illo deus solus operet̄, hic patientia & spe est opus. Nam hic in caliginē intratur, ubi homo nō operat̄, sed ducit̄ uia passionis mirabiliter. Quoties ergo pateris, toties operaris non tu, sed quiescis, & deus operat̄ in te, sed tu nescis quid, quia pateris & es nuda materia. Hoc est q̄d ait, uacate & uidete, quoniā ego sum deus. Spes sola hic regnat in charitate p̄ fidem. Recte itaq; B. Aug. dicit, quod cultus & latria dei est in fide, spe, & charitate. At hæc sunt affirmatiuissima, & tres Theologicae uirtutes, sub litera istorum trium uerborū significatae negatiue.

Vnum restat affirmatiuū, Honora patrem & matrem, sed & hoc quomodo sit spirituale, dictum est supra. Licet litera solummodo honorem ligni externi docere uideatur, sed subtus affectum timoris & obedientiaē promptitudinē requirit, quæ sine gratia, non est possibile fieri, ut patet in probatione tentationis ubi occasio uenit ipsum obseruandi, cōtra uotum uniuscuiusq;

Iam illud quartū satis notum est, Non falsum testimoniū dicēs, literam esse negatiuam, sed affirmatiuā esse in spiritu, ut proximo tuo sis ex corde paracletus, excusando, defendendo, & omnia, quæ tibi uelles fieri in famæ periculo, & conscientiaē. Reliqua duo similiter nota sunt, quod nō concupiscere ad literam hoc sit ex corde fauere proximis omnia bona, & nolle ullū malum. Ex quibus oībus patet, q̄d decalogus ad literā sonans, recte in spiritu exponit̄ a Christo & Apostolis, ubi docent fidē, spem, charitatem, obedientiā, reuerentiā, humilitatē, mansuetudinē,

R. P. MARTINI LVTHERII DE X. PRAECE
pacem, patientiã, modestiã, castitatẽ, paupertatẽ, bonitatẽ, beni-
gnitatem, hilaritatem, mutuam beneuolentiã &c. Hæc quidem
sunt affirmatiua, sed sunt spirituales sermones decalogi oïno.

Reuertamur itaq; ad propositum.

Incipit aut, a mansuetudine ac suauitate spiritus instruere ho-
minem, ut deo similis esse studeat homo erga proximum, sicut
uult deum erga se esse. Nam bonitas summe cõmendat deum,
ideo ut homo sit mitis, benignus, suauis, mansuetus, clemens, fa-
cilis, tractabilis, bonus, id est, deo simillimus, dicit, Non occides
non sis occisor, non sis crudus, asper, durus, amarus, difficilis, in-
dignabundus. Hoc autem efficit spiritus gratiã, qui hoc præce-
pro quæri & peti cogitur. Hoc idem dicit dominus Matthæi, v.
Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

C O R O L L A R I V M.

Frustra sibi blandiuntur, qui non occidunt, & tamẽ ut sint be-
nigni ex corde, non quærunt, quia per hoc solum speciem præ-
cepti, & literam habent mortuam, quibus uelut umbris prote-
gitur interior umbra Behemoth. Et demus simile.

Calx apparet frigere, ac sine calore, sed effusa aqua, furit ardore
solo autem oleo quietissime extinguitur. Sic homo adustus
fornace maternæ concupiscentiæ, occultam habet radicem iræ,
quæ erumpit, data tentatione, nec sanatur nisi p oleum gratiæ.

Aliud.

Latro uel homicida, aut alius grassator, si non occidit, aut per-
cutit de facto, nunquid contentus est in eo princeps, si arma nõ
ponat: suspiciabit enim, quod data occasiõẽ percutiet. Ita homo
& si nõ irascatur de facto, tamen habet intus gladiũ iræ, & si in
uagina reconditũ, sed non placet deo, nisi ponat gladiũ & abij-
ciat. Nec satis est quod in uagina sit, timor est de futura occasiõẽ
Nam iste est gladius, quo occisus est filius dei. Ideo etiã si non oc-
cidas, tamen coram deo occisor es, quia in armis occisionis filij
sui inueniris. Quis enim corã principe securus gladium portet,
quo constiterit filiũ principis occisum. ideo iram tam longe fie-
ri oportet & ex intimo corde, ut nõ possibile appareat aliquan-
do ipsam erumpere. Sic canis, etiam si opere non mordeat, nun-
quid ideo nõ est mordax: immo eo peior, quo insidiosior. Sed
heu has insidias nostras cordis q̃ pauci obseruant. Vnde psal. v.

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

Interiora eorum insidiæ, q̄d nos (cor eorum uanū est) habemus

Igitur incipientiū gradus primus, est proprius, scilicet abstinere a facto homicidij, seu per se faciendo seu consentiendo, consiliando, auxiliado, ut solet tertia lingua, & susurro, author cædiū facere, miscere iras & dissensiones, rixas, insidias, homicidia, ut Gal. v. docet Apost. Hic gradus uidetur facilis & exiguus, sed est grandis, si recte inspiciatur, & pauci sunt innoxij, quia pauci sic linguā temperant, ut nō seminent discordias, ac per hoc quantū in eis est, homicidia incipiunt, A quo malo magno & frequenti liberā fuisse matrem suam. Augu. dicit ex singulari gratia dei, ix. Confess. Neq̄ enim ab eo facile se liberum sentiat, nisi qui pacificus ac mediator utilis est, ut ea tantū narret, quæ cōciliant ac placent iratos ac discordes, aut magis cōciliant cōcordes, tacendo mala, & prædicando bona utriusq̄ apud utrūq̄. Sicut legitur exemplū quoddam de nuncio, prudentiq̄ seruo, missō a dño ad quendā, ut migrare iuberet de domo eius. Ille aut̄ salutarī dixit eum a domino suo. Et ad dñm rursus reuersus, dixit, illū uelle migrare, donec mira (ut nunc omitto) ordinatione dñs mitigatus, intelligeret prudentiā serui. Quapropter recte dictum est, q̄d susurro seu detractor est ter homicida, tres enim uno ictu occidit, primo seipsum, deinde eum cui susurra, tertio cui detrahit, quia os quod mentitur occidit animā. At excusant se, dicūtq̄ se uera dicere, sed male, quia uerum debet uere dici secundū illud. Quod iustū est, iuste exequaris. Ergo etiā uerū fit mendaciū, dū non ubi, quō, quando cui, quantū dici debet, dicit. Hinc & B. Bern. dicit, q̄d detractor habet diabolū in lingua, qui auscultat in aure. Secundus occisus est ipse auditor detractoris, quia similiter peccat, præter hoc q̄d ad iram, id est, mortem, eum inducit.

Tertius ipse passus, qui cognito isto malo, similiter ruit in iram id est, mortē, q̄d si non ruit, nō est detractoris beneficiū, sed defecit detractor, quantū in eo fuit. Cetera mala detractoris alibi.

Et epistola Iacobi de malo linguæ tractāda foret, ut appareret, q̄ latus sit iste primus gradus huius mandati, & q̄ pauci in illo sint

Et breuiter id faciemus. Dicit primo capitulo. Itaq̄ dilectissimi fratres, sit oīs homo uelox ad audiendū, & tardus ad loquendū & tardus ad iram. Ita enim uiri iustitiā dei nō operatur. Istis uerbis ad mansuetudinē mouet, unde sequitur, Propter quod abij-

cientes omnē immunditiā, & abundantiam malitiæ, suscipite in mansuetudine insitū uerbū &c. q. d. ne p̄feceritis oēm immunditiā, & abūde nimis malitiā, hoc est, ne tradatis uos immunditiæ & malitiæ, ut oēm expleatis, sed satis est, q̄d resistentibus, & abijcientibus, adhuc tñ adheret uobis immunditia & malitia. Oēm & abundantiam, addit ad significandū, q̄d qui contra pugnant, nō sine immunditia & malitia tñ sunt, quāto magis omnē. & immunditiā habēt, qui nō pugnat sed obediūt secundū illud psal. Astitit omni uia nō bonæ, quia sequit̄, Malitiā aut̄ non odiuit.

Porro immunditiā seu sordiciē uocat cōcupiscentiā, quæ est sordicies anīæ & spiritus, q̄ & causa est iræ inter hoīes. ideo enim inuicem irascunt̄, quia alter alterius cōcupiscentiā impedit. ideo hanc uelut immunditiā totalem & capitalē abijciendam docet

Malitiam autem ipsam iram dicit, quæ & ipsa est abundantia & superfluitas quædam spiritus, sicut fœda corporis, superflua sunt. q. d. stercus & superfluitatem malitiæ, id est malitiam quæ stercus & obscœnum est animæ, abijcite & nolite fouere.

Hoc autē fit, si uelox sit quisq; audire, tardus loqui. Irati enim sunt non tantū ueloces ad loquendū, & tardi ad audiendū, uerūetiam impotentes ad tacendū & audiendū, quia uelox ad irā, uelox etiā est ad loquendū, & e contra. Quare optimū remediū frangendi iram, est, ut homo sibi uim faciat & assuescat. Primū, tardus esse ad loquendū, quando fuerit iratus. Secundū, quod est perfectius, tardus ad iram, ut proponat in corde nō uelle moueri ad irā, & uelle aliquando experiri, an possit tacere offensus.

At excusant se quidā, q̄d propter deum & iustitiā irascuntur, & loquunt̄, quibus occurrit, dicēs, Ira uiri iustitiā dei nō operat̄ impossibile est, ut deo placitū faciat opus, qui iratus & ex ira facit. cū sit deus pacis & suauitatis, cui nullū turbulentū placet. Memorabilis sententia, q̄ multi nimis ignorāt, qui contra iniustitiās indignantur alienas. suas aut̄ etiam palpant, & iactitant q̄q;.

Ita & infra, Si quis uideē religiosus esse inter uos, nō refrenans linguā suam, sed seducens cor suū, huius uana est religio. O magnū uerbū, q̄ multi sunt uerbosissimi. At etiā (de quibus hic proprie loquitur) amari, iracundi, & asperrimi, & tñ uolūt religiosi & sancti uideri. Idem ergo est, quod religio linguosi uana est, q̄d ira uiri iustitiā dei nō operatur, ita ira facit per linguā religio

nē, & oēm iustitiā uanā. i. foris speciosam, sed intus uacuā. ideo
& seducit, nō alios, sed cor suum, putans se religiosum, cū nō sit.

Et capite iij. pericula linguæ & mala describens ait.

Nolite plures magistri fieri, fratres mei, sciētes quoniā maius
iudiciū sumemus. Nolite, inquit plures, id est, nolite oēs uelle
docere, & prompti esse ad loquendū, ac docendū, & tardi ad
audiendū, sed quilibet optet, se discipulū posse fieri, & alteri ce-
dat magisteriū sui. Ne fiat turbulentissima dissensio, ut ubi plu-
res sint, qui doceant, nulli qui audiant, & quilibet contra alium
oīa repleant dissensionibus, sicut fecerūt hæretici in ecclesia. Ma-
gistros fieri nō est malum, sed quod multi uolunt fieri, id est, qđ
uolunt esse diuersi, neuter neutri audiens, hoc est, qđ maius iudi-
ciū sumūt. Et hoc dissuadet tali periculo, quia etiā absq; illo ma-
iori iudicio, qđ tales accipient iam satis offendimus. Non est ne-
cesse occasionem peccati quærere, & maioris iudicij accipiendū
Quia in multis em offendimus oēs. Oēs tales sumus, qđ of-
fendimus, & hoc non tantū in uerbo, sed in multis scilicet ocu-
lis, auribus, manibus, ac oībus sensibus, deinde cogitationibus.
Et istæ offensiones debent nobis sufficere, ne & maioribus nos
offeramus. Deinde hoc etiā psuadet, ne alter alterū superbe præ-
sumat docere, quasi ipse non offendat in ullo. q. d. ut quid aspe-
re uos inuicē reprehenditis, & unusquisq; alterius magister fieri
nititur. An ignoratis, qđ oēs, nullo excepto, offendimus, non
in uno tantū, sed in multis. Quod si quis in paucis, uel in ope-
re non offendit, quid de uerbo sentiet. Si quis in uerbo non of-
fendit, hic pfectus est uir, q. d. hic se perfectū & nō anteq; etiā in
uerbo nō offendit. q. d. talis nullus erit inter uos, quia in multis
offendimus oēs, multo magis & in uerbo, ut quid ergo con-
tra inuicē supbitis & eleuamini, ac non potius in māsuetudine
inuicē monetis & portatis. Hic inq; perfectus uir. Potest etiā
freno circū dare totū corpus. i. si potest linguā domare, pōt etiā
totū corpus suū a peccato custodire, quia, q nō peccat in lingua
sine dubio & alia mēbra iā domita, & obedientia habet sub fre-
no. Deinde tres pponit similitudines, a quarū una iā cœperat
Ecce equis frena in ora mittimus, ad cōsentiendū nobis, & to-
tū corpus eorū circūferimus.

Secunda.

Ecce naues cum tantæ sint, & a uentis ualidis minent, circūfe

e iij

runtur aut a modico gubernaculo quod impetus dirigentis uoluerit, ita lingua modicum membrum est, & magna exaltat, seu iactat, quod dicitur equus frenare, & dirigere possumus, & naues, imo ut infra, & bestias. Lingua autem contra, cum sit modicum membrum, debuit maxime posse comprimere, & dirigi. At ipsa magna potius iactat ac mouet, quam alias regunt bene, mouet & iactat omnia, sicut uetus naues, recte contraria gubernaculo, quod frenat naues. similis est in quantitate clauo nauium, & in effectum tamen contraria, similis potius uetis & turbinibus

Tertia similitudo.

Ecce quantulus ignis, quantam syluam, id est, fit ut paruulus ignis magnam materiam succendat, totam scilicet syluam. Et lingua ignis est uniuersitas iniquitatis, Graec. mundus iniustitiae, quod dicitur tot parat in iustitias, ut quasi mundus putari possit, quia ignis est, & multa incendit

Istis omnibus & sequentibus uerbis id agit, ut nos moneat & doceat, quia maximus hostis noster est lingua propria, atque ab ea non minus cauendum, quam ab inimico maximo, & quo est minor, eo nocentior, minor in re, sed maximus in uirtute. Nihil enim facilius laedit conscientiam quam lingua, ideo enim & in monasterijs silentium instituitur, licet contra illud diabolus LOGICAM quoque illuc introduxerit, garrulitatis garrulosissimam magistram. Eadem causa, ut uelocitatem locutionis comperceret, dominus minatur, de quolibet otioso uerbo rationem reddendam. dura, sed necessaria sententia aduersus tam lubricam pestem, ac praesentissimum uenenum.

Item id & philosophi uiderunt, quod homini ideo sunt duae aures datae, sed una tamen lingua, atque aures ipsae non tamen patulae, ac aperte foris, sed etiam auriculis circumamictibus, ut facilius audiat, denique tortuosa & uerbo quodammodo obiecta, ne facile uerbum perteruolet

Lingua autem non tamen clausa, & latens, uerum etiam offeo muro circumclusa, scilicet dentibus, deinde uallum carneum, id est, labia, praeter hoc quod tantum a pulmone distat, & corde, tot requirat instrumenta cum aures nullo indigeant, adhuc ipsa uelocior est omnibus sensibus

Ecce quinque sensus uelut quinque naues natant in rebus istis corporalibus, & inferunt in memoriam res innumerabiles, scilicet uisu, auditu, tactu, olfactu, gustu. Nec tamen tot inferre possunt, quin illa plus efferat. Sepissime loquens coniecturas, suspensiones, opiniones somnia temeraria, friuole ficta, quae nec sunt, fuerunt, nec erunt.

Item inde secunda statim plaga Aegypti fuit, ranarum immissio,

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

quæ linguacitatē significant sterilem. Quia prima fuit sanguis, si gnificans, qd quando homo fit caro & sanguis, totus fit lingua & nō nisi uana loquitur, & q̄ uanior est, eo plus uult loqui. Atq; fideli signo, uanū hoīem p̄ hoc cognoscas, si fuerit multiloquus & e contra. Quo fuerit homo solidior & grauior, hoc signo co gnosces, Si fuerit parcus in uerbis, largus in ope. nam tales fasti diūt loqui, nisi dū obedientia, aut necessitate cogunt, ut psal. liij. Obmutui & silui a bonis, sicut em̄ eos tædet uitæ suæ, ita & lo queat. E contra, In multiloquio nō deerit peccatū. Et ibidē, Vbi plurima sunt uerba, ibi frequenter egestas, Iob. iij. Nunquid qui multa loquit̄ poterit iustificari? Et psal. Vir linguosus nō diriget̄ in terra. Sed hæc maxime sunt mala, dū ira magistra loquit̄. unde Aesopus dicit̄ linguas emisse, cū iussus fuisset optimas carnes & postmodū pessimas emere. Quin multi timore infamię sibi mortē consciuerūt & Poetæ dicūt Lycamben uersibus iambicis Archilochi adactā ad laqueum. Quod si quis adhuc dubitat, in terroget eū, qui amarā habet mulierē ac litigiosam, & uerbosam

Deniq; quod bestijs, dentes, unguæ, rostra, cornua, aculei, ue nenū, aut quæcunq; arma, imo quod malis hominibus tam ua ria uasa & arma, hoc lingua est animabus, unde Psal. Filij hoīm dentes eorū arma & sagittæ. Item lxxiij. Nolite extollere in altū cornu uestrū &c. Vnde arcus, gladius. Recte itaq; mūdus iniqui tatis, & modicus ignis magnā syluam succendens. Et sequitur.

Sic lingua constituit̄ in mēbris nostris, quæ maculat totū cor pus, q. d. Nōne est mirū, quod illud maculat, & totū corpus ma culat, quod adeo non est extra nos, imo adeo intra nos, ut sit in ter propria membra? Monstri hoc simillimū, qd membrū non tantū membro, sed toti corpori officiat, cū se mutua mēbra sol licitudine foueāt. Hæc sola inter ea maculat totū corpus, i. reum facit peccatorum, ut propter ipsam totus homo sit odiosus deo & hominibus, qa adeo infamis & abominabilis est linguosus ut etiam si toto corpore sit formosus, aptus, diues, nihil tñ in eo non uelut fœdū fugit̄ ab hoībus. Quis enim libenter cū loquaci bus ac garrulis conuersatur, ac nō potius abhorret ac nauseat & dicit, Ey vvie vveschig ist der. Et inflammat rotam natiuitatis nostræ, & inflāmatur a geenna. Videtur Apostolus, natiuitatē intelligere, id quod nati sumus, ut supra c. i. Similis est uiro cōsy-

deranti uultū natiuitatis suę in speculo. Et iterū, Volūtariē enim genuit nos uerbo ueritatis, ut essemus aliquid creaturæ eius. Igit̄ natiuitas generatio seu creatio a creatura, in quā nati, producti, creati sumus. Ergo rota natiuitatis dicitur, tota essentia, & quicquid creati sumus, sicut totū corpus. Et hanc totā natiuitatis, totūq; circulū nostrę essentia, seu eius qđ sumus, hoc ipsa inflāmat. Ignis scilicet est uniuersitas iniquitatis, ideo nō succendit nō patem nostri, sed totū qđ sumus, ac uiuimus. Nam forte etiā ideo totā appellauit, nō tantū propter totale esse, sed etiā totale uiuere, & operari in hoc tēpore. Vita enim nostra tota uolubilis est.

Addit aut̄ inflāmata a geenna, ne bona flāma hic inflāmare intelligat, quia ipsa infernali igne accensa, i. odio & ira, totū qđ sumus accendit ira & odio, dū prouocat & pmouet ira, ut patet in iratis qui intus & foris tremūt & feruēt. Quarta similitudo.

Omnis enim natura bestiarū & uolucrū & seprentiū, & ceterorū domantur, & domita sunt a natura, Linguam aut̄ nullus hoīm domare pōt, uide quantis uerbis & sensibus linguā incessat, ut eā igni inferno simile, ac feris inferiorē ponat. Quis a seipso nō timeat, qui nocentiorē & feriorē bestia apud se habet, qđ totus mūdus: quis nō odiat linguā suā: quis nō uereat loqui, qđ tantis noībus scēdari audiat suā linguā. Sequitur. Inquietū malū, plena ueneno mortifero. parē est qđ sit inquieta, qđ per se malū est, sed inquietū malū, i. semp̄ nocens, neq; a nocēdo quiescēs. Deinde plena ueneno mortis, i. qđ occidit, nō tantū inficit, hoc est, pñti ueneno, nō lento aut tardo. Hoc sane patet qđ profunde penetret susurronū uenenū, qđ illis, quos intoxicarint aduersus inuicē, uix tota uita remediū prouideri pōt, ubi usq; ad medullā processit inuidia & odiū. Sapius cū odio moriunt̄ potius, qđ cōciliantur. Emphaticōs itaq; & Epitaticōs dicit, ueneno nō infestorio, sed mortifero. In ipsa benedicimus deū & patrē, & in ipsa maledicimus hoīes, qui ad imaginē & similitudinē dei facti sunt, q. d. Non pōt simul utrūq; facere, nisi fiste, ideo ne se quisq; fallat, qđ deo benedicat, si hoīem maledicat, nec deū benedicat, cuius homo factura est. Quis em̄ picturā, aut statuā reprehendere ac maledicere pōt, ut maledictio eiusmodi nō redundet in pictorē, & artificem: Sic Hierē. xv. de ijs, qui operibus dñi maledicunt, dicit, Omnes maledicunt mihi. Et Esa. viij. Cū esurierit ira

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

scetur, & maledicet deo, & regi suo, inde præcipue in lege prohibitū fuit & est, Dijs tuis nō detrahes, & principi populi tui ne maledicas. Et Apostolus, Maledici regnū dei non possidebunt.

Quod si hoies id attenderēt, qđ maledicēdo hoibus, deo qđ maledicūt, cuius opus & factura maledicūt, utiq; non ita prompti essent maledicere, Sicut Prouer. xiiij. Qui calūniatur egenū, exprobrat factori eius. Quid em̄ facit, qui maledicit, nisi qđ dicit Vah, qđ nō aliud & aliter formatū: cui potius deberet misereri, & dicere orando, O dñe, fac eum aliū, sicut artificē licet monere & orare, nō maledicere, ut ibidē xiiij. Prouer. Honorat aut̄ eum scilicet factorē eius, qui miseret pauperis. Quod si B. Petrus phibet, ne maledictū pro maledicto, nec malū pro malo reddat, similiter & Christus, Orate pro calūniantibus, & psequētibz uos. Et Paulus Ro. xij. Benedicite maledicētibus uobis benedicite & nolite maledicere, qđ illis fiet, qui maledicūt, nō maledicētibus: ideo psal. xxxiiij. Prohibe linguā tuā a malo, & labia tua nō loquant̄ dolū, diuerte a malo & fac bonū, inquire pacē & psequere eam, i. a malo, nō tm̄ ferendo, sed etiā referēdo seu reddēdo, Et bonū nō tm̄ reddendo, sed etiā cōferendo pro malo accepto, alioqn nō inquirīt pax, aut persequit̄, si malū malo reddas.

Iste ergo gradus est secundus, a dño prohibitus, ne quis maledicat, uituperet, detrahat proximo suo, & sicut in primo gradu plures sunt rei q̄ credant, ita & isto, nā tria maxima uitia lingue hoc pcepto prohibent̄, scilicet maledictio, detractio, susurratio, sed istud tertiu in primo gradu. Ac p hoc uniuersa mala lingue prohibentur p iij. & v. & vi. & viij. mandatū, per iij. periuria & blasphemix, ac alix offensiones cōtra deū quæcūq; sed per v. offensiones erga proximū, per v. uerba impudicitix, per viij. uerba deceptionis & fraudis, in negotijs seu iudicijs. nā & in ipso viij. etiā detractio est, sed publica, ac corā iudice. Hic aut̄ alia. Igitur maledictio & detractio & susurratio sic differunt, qđ maledictio est in ipm p̄sentē, uel tanq; in p̄sentem & in faciē. sub qua oia cōtumeliā, blasphemix, criminatiōis, uituperij, agnominationis uitia cōprehendunt̄. Detractio est de absente ipso ad aliū & sequit̄ maledictionē, q̄a mala in aliquē, uel foris p̄sentē, uel intus memoriæ obiectū cōgesserit, & hoc ad alium detulerit, iā maledictio facta est detractio, quare nullus est detractor, qn sit &

maledicus, saltem apud se. & hæc duo pulchre expressit uersus, Prohibe linguã tuã a malo (id est, ne ulli maledicas siue uoce, siue tacito murmure) Et labia tua ne loquantur dolum (id est, detrudere caue) Nam dolum est, si quis in tergũ loquit, nesciẽte illo cui nocet, non aut e contra, ois maledicus etiã detractor est, salte hominis eiusdẽ, licet detrahat deo, qñ maledicit hoĩem. Quod si ulterius detulerit mala duorũ cõtra inuicẽ, uel unius ad alterũ tanq; alterius amicus, & alterius inimicus, iam bilinguis futurus est, & discordiã seminator, peior istis duobus, ideo extra istũ gradũ in primo cum homicidis collocandus. Concludamus itaq; hunc. Sicut primũ gradũ huius præcepti non implet, nisi qui non tantũ non occidit aut lædit, aut nõ discordias seminat (quia & omittendo potest cõmittere) sed etiã ita mitis sit, ut potius uiuificet ac foueat opibus misericordiã & beneuolentiã. Et ita pacificus, ut miribus ac dulcibus uerbis etiã cõciliare studeat discordes, quantũ potest, & mediare ne fiãt discordes. Hi em̄ audient, Beati mites, Beati misericordes, Beati pacifici, qm̄ ipsi possidebũt terrã, misericordiã cõsequentur, filij dei uocabunt. Ecce istæ tres beatitudines in isto p̄cepto sunt cõprehensæ. Ita secundum gradũ nõ implet, nisi nõ tm̄ nõ maledicat, detrahat aut uituperet, sed etiã in oĩbus bñdicat p̄sequẽtibus, & excuset accusatos, oret pro oĩbus, & resistat detractoribus, quantũ potest. Ecce hæc est spũalis intelligẽtia huius p̄cepti. Nũc sũt de tercio gradu.

Tertius gradus Iræ.

Est, dicere fratri suo Racha seu archa, asperando gutturis halitum, uelut fremitũ arteriã formando. In quo dixi omnia signa iræ præter uerba, imo & uerba præter maledicta & detractiones cõprehendi, ut sunt ironiã in uerbis, torsioẽs labrorũ, rugẽ frontis, ac nasi, ac exandescencia uultus, deinde silentiũ, auersio uultus, dirus intuitus, quæ oĩa sunt indicia animi irati & odio pleni. Adde clamorẽ & stridorẽ dentiũ &c. Hic aliqui dicunt, qd̄ necesse quidẽ est, rancorẽ dimittere, sed nõ signa rancoris. Quæ sententia & si sit in aliquibus uera, nõ tm̄ uniuersaliter, & multo melius sic poneret, Signa rancoris aliqñ utile est exhibere, nõ qd̄ sint signa rancoris, sed similia signis rancoris, alioqn signa uere rancoris nõ sunt, aut nullo mō retinẽda sunt, si uere sint, unde adhuc optiẽ diceret, qd̄ signa charitatis aliqñ omittere, & signa iræ

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POPVLARES

exhibere oportet. Nam si signa rancoris licet non deponere, ergo propter aliquem fructum: Quare ergo non potius exhibenda: ne scilicet sola licentia quærat omittendi bonum.

Exhibere itaq; melius est, q̄ non dimittere, quia qui exhibet, nō ex ira facit, sed ex zelo bono, ideo manet sine suspitiōe mali. Qui nō omittit, prius arguit ex ira fecisse talia signa. Et ideo si nō deponat illa, relinquit fratrem in suspitione iræ, ac per hoc impedit ueram & integram pacem ac concordia, cum ille non credat cor eius esse mitigatum, & offenditur rursus ad similia.

Quare tales doctores sunt mittendi ad illud præceptū naturale, qd tibi fieri nolis, alteri ne feceris, & Quod tibi fieri uis, alteri facias, Et gentilis, Si uis amari, ama. sed nō est dubiū, quin omnes uelint, ut ille quem offensum & iratū habuimus, nō tantū signa ponat iræ, sed eo magis contraria exhibeat, ut certi fiant de eo. Ideo largiora petuntur signa, quā si non fuisset offensus. Sic em̄ & deus largius benefecit post peccatū humano generi, quā ante peccatū fecit, eo quod filio proprio non pepercit &c. Quod si signa tanta omisisset, quis eum propitium factum credere posset aut auderet: Filij ergo dei, deum patrem suum imitentur. Istis aut dictis docemur, quam sit difficile mandatū dei seruare, nam experientia patet, q̄ difficile sit hominibus hæc signa mala ponere & bona ostendere, q̄ se uertunt & reuertūt, ante q̄ induci possint, ut simulate saltem faciant, nam uere & ex corde nunq̄ nisi gratia dei adiuti, facient, dicunt em̄, nō possum tibi fauere, amabilis esse. Et infœlices nō cogitant, quod nollent ipsis ita fieri neq; a deo, neq; ab hominibus. ideo uidetur in hoc mōstro, qd sit futurus infernus, & quid sit præsens mundus, scilicet regnum diaboli, in quo tantū malum inuenitur in hominibus, cōtra naturam & naturale proprium dictamen pertinaciter obdurans.

Quo circa ira & inuidia differunt non aliter, q̄ sicut uinū nouum & uinū uetus, nā inuidia seu odiū est inueterata ira, ut B. Aug. in regula, ne ira crescat in odiū, & trabem faciat de festuca. Nam ira, quæ cito transit & nō fit odiū, uix ira dicenda est, nā statim traditur obliuioi. Sed inueterata fit tenacissimū malū, quia spirituale malū, adeo ut prouerbiū sit, Nihil tardius obliuisci, q̄ iniuriā, & nihil citius abolescere, q̄ beneficiū, utrūq; fit uicio naturalis prauitatis, cū contra fieri debeat, Nam bona natura hoīs

R. P. MARTINI LVTHERII DE X. PRAECE
in hoc notatur, si cito obliuiscitur offensam, & beneficiũ semp
memoratur, adeo ut nõ sinat sibi libenter benefieri, cernens qd
obruitur multitudine deuitarũ gratiarum actionũ, & uicissitudi
nis sibi impossibilis. At contra malæ naturæ ingeniũ semper re
tinere offensam, semper exprobrare & obijcere diu præterita.

Igitur exemplis demus, quando licet signa ostendere iræ seu
asperitatis, ut si quis ita pertinaciter malus sit, ut semel & bis aut
tertio monitus nolit desistere, nõ solum licet, sed oportet signa
iræ in illũ ostendere. unde pri. Corin. quinto. Si is qui nomina
tur frater inter uos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens
aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax. Et ij. Thessa. ij. Si quis
nõ obedierit uerbo nostro, norate, & nõ cõmisciamini cũ illo,
ut cõfundatur, & nolite quasi inimicũ existimare, sed corripite
ut fratrem, ecce nõ ut inimicus, sed ut frater emendãdus est. Ista est
ira sancta & bona in scripturis uehementer laudata. Ideo distin
guendũ est. Primo, ut moneatur secundũ illud Christi, Si pecca
uit in te frater tuus, alioqñ prima uice nõ est abijciendus, sed mo
nendus. Si em̃ septuagies septies ueniã petierit, nõ est ei negãda.

Secundo, discerne utrũ ideo sic facis, quia te læsit, uel quia pe
ccatũ fecit. Si enim deũ plus diligis q̃ teipsum, debes irasci ma
gis qd deum læsit, q̃ te. deinde æque misereri qd seipsum peius
læsit intus, q̃ te foris. Quibus respectibus factis, facile doceberis,
quõ & quo corde ei signa charitatis neges, uel nõ neges. Sed ne
te fallat cor tuũ, & dicas, ita facio, propter deũ irascor, & nõ pro
pter me, & forte mentiaris. Hoc etiam proba apud te, & uide, si
tantũ doles & moueris, qd uel si alium læderet, quantũ quia te
lædit. Si enim illic nõ moueris, signũ est qd teipsum quæris &
uindicas non aut̃ mederis. Et quid moror? Frustra est disputa
rio, an signa rancoris sint ponenda, qa prorsus sunt ponenda. Si
aut̃ est causa quare sint ostendenda, hic penitus irascendũ ex cor
de est, non tantũ signa exhibẽda. Signa rancoris si sunt rancoris
prorsus sunt omittenda. Si aut̃ non signa rancoris, & dignũ est p
emendatiõẽ fratris ea ostendere, etiã ira pfecta est addenda, ut ui
deat, qd ex corde ostendunt sibi, & ex qua causa. Et nõ sic ince
das tacens & simulãs, ut frater nesciat, quõ tecũ habeat. Mala est
talis doctrina, & penitus cõtra charitatẽ. docet em̃ simulationẽ.

Sed longa & multa sunt præcepta, quæ omnia cito uideret &

PTIS DECLAMATIVNCVLAE POP VLARES

faceret charitas, quæ si desit, nihil est quod satis doceri potest. Ipsa enim docet, quomodo homo ipse uult diligi, foueri, sustineri, benefieri nihil sibi simulari, ita & idem docet proximo exhibere. Non enim amicus fraudulenter debet incedere, ut B. Hiero. Vera amicitia impatiens est simulationis. Si est rancor, ostende. Si nõ est, iterũ ostende, & hoc uel signis clemẽtiæ uel seueritatis.

COROLLARIUM.

Patet qd nec iste gradus seruetur, nisi quis studeat nõ tantũ ommittere signa, sed etiã ex benigno corde cõtraria signa ostendere. Ad oẽm enim mititatẽ nos isto format p̄cepto deus. Et uniuersam irascibilis uirtutis radicem extirpare intendit, ut non nisi dulcedo cordis ibi relinquatur, quod gratia operat non natura.

Quartus gradus, est irasci corde, & hic est primus & oĩm aliorum radix. Hunc em̄ ipsa lex maxime tangit, qñ dicit, Non occides, Cor em̄ mundũ quærit, nõ tantũ modo manũ, ut ludæorũ hypocrisis, ut Psal. xxij. Innocẽs manibus & mũdo corde. Quare ferme oẽs beatitudines Matth. v. in isto p̄cepto includuntur, ipsumq; exponũt. Nam Beati mites, beati misericordes, beati pacifici, beati patientes, beati mũdo corde, hic manifeste includuntur. Quod si beati pauperes, beati esurientes iustitiã, beati lugentes, eos significat, qui se agnoscunt nõ implere hoc mandatũ, & ideo lugere & cupere ac esurire, quis dubitet quin sint hic, aut saltem tales esse oportet, ut hoc p̄ceptũ & qdlibet aliud impleat.

Igitur in hoc gradu sunt omnes cogitationes malæ cũ ipsa radice earum, scilicet irascibili uirtute prona ad uindictã, ut sunt ira, inuidiã, suspiciones malæ, amaritudines, rancor &c. Et sicut hic est primus, ita habet pauciores species q̄ proximus post eum. Nam homicidiũ in opere habet plurimas, ut homicidiũ, fratricidiũ, uxoricidiũ, parricidiũ, sacrilegium &c. Ac per hoc patet, quõ in isto p̄cepto sunt quatuor gradus, & in singulis gradibus adhuc mihi gradus. & ideo nullus est in hac uita, qui nõ sit in aliquo illorũ. Beatus aut qui in supremis, infœlix qui in infimis. Nam mititas est cœlũ, ira est infernus, mediũ aut ex utroq; est hic mũdus. Ergo illuc ascenderũt tribus, tribus domini, hic descenderũt in lacum & infernũ uiuentes, quanto propius mititati, tanto & ipsi cœlo &c. Quare non satis est pro hoc quarto gradu, esse non irascentem fratri, nisi simus etiam mitissimi in

R. P. MARTINI LVTHERII DE X. PRAECE
eum affectus & suauissimi cordis. Quod cum nō simus ad gra-
tiam Christi fugiendū est, ut de sua plenitudine nostrum supple-
at interim defectum, donec & ipsi perficiamur.

Septim. p. 10

PRAECEPTVM SEXTVM.
NON MOECHABERIS.

OBreuiissimū uerbum, sed latissima sententia, ideo interpre-
tatione opus habens, quare Christū audiamus, qui Matt.
v. dicit, Audistis quia dictum est antiquis, Non Mœchabe-
ris. ego autē dico uobis, quicumq; uiderit mulierem ad cōcupiscen-
dā eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Breuiter ipse quo-
q; loquitur, quia relinquit ex praecedenti pracepto eandem gra-
dū fieri distinctionem, ponens eum tantūmodo, qui est in cor-
de. Quare & nos hic eosdem quatuor ponemus, scilicet in affe-
ctu, signo, uerbo, opere. Hoc enim praceptū ideo exposuit dñs
quia antiqui (id est, iudæi) ipsum accipiebant secundū uim & ri-
gorē uerbi, ac ita docebant, & irritū faciebant hoc mandatū, si-
cut & oīa alia, Quod nō esset adulter, nisi qui opere id impleffet
nihil de cōcupiscentia, signis, uerbis solliciti, ideo immundi facti
sunt. Et in hac sententia sua ita steterūt, ut cōtra eos Hieremias
diceret, Unusquisq; ad uxore proximi sui hinniebat, & facti sunt
sicut equi emissarij. Nouis itaq; .i. nobis aliter dicit ut omnis cō-
cupiscentia hic euacuetur. Dicit enim B. Augu. hoc loco de ser-
do. in mon. q. noīe mœchantiū, qui hoc capitulo cōmemoran-
tur, oēm carnalē & libidinofam cōcupiscentiā oportet intelligi.

Primus itaq; gradus est opus ipsum foris, quod sine dubio ex
concupiscentia intus procedit, ut ibidem probat B. Augu. Si autē
omnis cōcupiscentia carnalis ibi prohibet, ergo & omne opus
quod ex illa procedit, idcirco ponunt multae differentiae operū.

- i Fornicatio simplex, solutus cū soluta, a quo distinguūt alij
- ij Meretricium, quod illa sit unius cōsuetudo mulieris, hoc
autem in multis, uagus ardor libidinis.
- iiij Stuprum, quod est uiolatio uirginis.
- iiij Raptus, quod est, cum rapitur filia uel filius, in quo & fure-
tum simul est, & maximum furtum.
- v Adulterium, quod qñq; est simplex, qñq; duplex, secundū
quod uel ambo fuerint coniugati, uel unus tantummodo,
- vi Incestus, est contra consanguinitatis honorem.